



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



DISPUTATIO IVRIDICA INAUGVRALIS
DE
**BEATITVDINE
IVRIDICA,**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO
PRINCIPE BOKVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBVRGICO
AC DVCATVS MAGDEBVRGICI GVBERNATORE, &c. &c.

PRAESIDE
DN. HENRICO BODINO
CONSILIARIO REGIMINIS ECCLESIASTICI
REGIO IN DVCATV-MAGDEBVRG. ET PROF. PVBL.

PATRONO AC PROMOTORE AETERNVM DEVENERANDI

PRO LICENTIA

**SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES CAPESSENDI,
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI**

D. XXIV. NOVEMBR. ANNO MDCCV.

HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS

IN AVDITORIO MAIORI,

EXHIBET

SIMON PETRVS GASSER,

POMERANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

**TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.
MDCCXL.**





CONSPECTVS
DISSERTATIONIS IURIDICAE INAUGVRALIS
DE
BEATITVDINE IURIDICA,
ET IN SPECIE
DE
BEATIS POSSIDENTIBVS.

Ratio instituti Pr. Beatitudo est vel eterna, vel temporalis, & politica seu civilis, de qua hic agitur. §. 1. Et hæc vel universalis est, vel particularis. §. 2. Universalis beatitudinis necessitas pro genere humano & Republica commonstratur. §. 3. Quia convenit cum utilitate publica & socialitate. §. 4. Et ita principium constituit cognoscendæ voluntatis divinæ. §. 5. Etiam si non adsit revelatio de officiis humanis. §. 6. Quod decisionis auctoritate firmavit optimus Salvator. §. 7. Quenam religio sit beatitudini & tranquillitati Reipublicæ convenientior, demonstratur. §. 8. Et qua ratione salus Reipublicæ suprema lex sit. §. 9. Transitus ad beatitudinem particularem, ubi beati possidentes & de possessione civilissima & possessionis apprehendenda necessitate. §. 10. 11. Apprehensa possessio est juris. §. 12. Et vel nuda vel qualificata. §. 13. Processus summarissimus est beneficium possessionis. §. 14. Possessor spernit primum mandatum sive clausula, rescriptum principis, & iudicem quandoque in executione, vim vi repellit & facile probat, atque

in possessorio obtinens in petitorio deficiens non condemnatur
in expensas. §. 15. Non tenetur edere titulum possessioni
suae, praesumptio enim est pro titulo, eoque minus oneroso. §. 16.
De iudicis officio circa processum possessorium. §. 17. Iudex
non facile ad sequestrum procedit, & hoc, si iudiciale sit, non
interrumpit possessionem, nec controversa possessio facit rem
litigiosam. §. 18. In pari turpi causa beati sunt possidentes
& si plures insolidum sunt obligati, ac alter solidum solve-
rit, alter nihil reddit. §. 19. 20. In pari justo contractu
plures concurrant, potior est possidens, quod illustratur exem-
plis de emtione & conductione. §. 21. De pignore pluribus
dato & a pluribus accepto. §. 22. Possessio filiationis & eju-
smodi beneficia traduntur. §. 23. Possessio famae quandoque servari
potest, actu infami judicialiter probato. §. 24. De possessio-
nibus rerum immobilium, quod a satisfactione liberentur ne
arresto vexentur, & quod possessio immobilium oblivione non
amittatur, traditur. §. 25. Commodum possessoris rei alienae
quoad commodatum, emtione, pignus & precarium adducit
tur. §. 26. Qua ratione possessor partis habeatur pro posses-
sore totius rei tam corporalis quam incorporalis determina-
tur. §. 27. 28. Beneficium possessionis in jure retentionis ab-
legatur. §. 29. Ratione actionum deciditur quaestio: an posses-
sor agat, & negatur in rebus corporalibus. §. 30. Negatur
quoque in incorporalibus & L. diffamari §. 31. In actionibus
jus tertii possessoris potissimum est, ubi de actione publiciana
& quando dominus ipse a possessore non possit vindicare. §. 32.
Declaratio tituli sufficientis ad removendam a possessore he-
reditatis petitionem exhibetur. §. 33. Possessor rei, in qua alter
hypothecam & quidem specialem habet, non caret commo-
dis. §. 34. Possessor rei in fraudem creditorum alienatae va-
riis beneficiis gaudet. §. 35. Tertius possessor adversus eum
qui jure retractus agit, quomodo defendatur. §. 36. Circa
restitutionem in integrum quid possessori juris determinatur
& finitur dissertatio. §. 37.

PRAE

PRAEFAMEN.



Nihil est publicæ rei magis adversum, quam ubi civium quisque privatam rem communi bono præfert. Conscius non est in concives officii, qui sibi soli quid sit utile, quid jucundum, inquirit, hoc vero est vagum admodum & inconstans non fundata utilitate communi, quæ est quorumcunque commodi servandi basis & fundamentum. Adfert tranquillitatem multitudinis, qua turbata res privatorum subjacent periculo omnium. Format ambitio ambitum, quem undique extendit avara dominiorum amplitudo, & habendi concupiscentia. At nihilo secius sui ipsius cuique amor est prior, sed ideo non semper præferendus, facit enim ille mentem recti consciam & apertum, quid sit in alios statuendum, illud nempe, quod sibi quisque fieri vellet, si alterius loco esset. Inde beata & tranquilla socialitas, quam conservando hominum generi gentilem fecit summus ejusdem creator, ut sat normæ haberet ac legis, si sibi quisque injuriam fieri nollet, & eam inferre aliis idem nefas duceret. Atque adeo beata tum demum & feliciter tranquilla respublica est, si quisque non sibi soli, sed ex se sciat vivere aliis, de qua civili beatitudine nunc pluribus tractandum.

§. I.

Est vero beatitudinis vox variis significationibus exposita, ad præsentem vero nostrum scopum considerasse iuvabit, quod beatitudo potissimum sit vel æterna, vel temporalis ad hanc tantummodo vitam pertinens, & hæc vel privata seu mere moralis, vel simul publica seu civilis sive politica. Æterna, qua illi, qui per peccatum mortales facti sunt, liberati per mortem a peccato gaudebunt tandem in cœlo; Civilis vero vel politica beatitudo, quæ hujus loci est, qua ratione terminis moralibus circumscribatur, in sequentibus dicendum. Quare, ne quid nobis imputetur, monemus, nobis sermonem jam non futurum de beatitudine theologica & æterna, utpote quam revelationi determinandam, Theologis explicandam & inculcandam, a Deo conferendam, & bona religione religiosis assequendam relinquimus, cuique optamus, conferentes nos ad ea, quæ de civili vita beata, vel etiam qua ratione ex facultatibus jure competentibus quidam beati dicantur, moneri possint.

§. II.

Duo itaque nobis præcipue conceptus formandi sunt de politica beatitudine: vel enim universaliter consideranda, quatenus non tantum hanc vel illam rempublicam beat, sed & universum humanum genus tranquillat; vel particulariter, quatenus hic vel ille in republica beatus dicitur, quales possidentes prædicantur effectu juris civilis, de quibus inferius. Illa universalis pertinet ad jus præceptivum, hæc ad jus permissivum; illa ad jus naturale, hæc civile.

§. III,

§. III.

Distinctius vero ut de universali beatitudine pateat, monendum, quod remotis Hobbesii postulatis, qui statum naturalem putavit esse statum belli omnium contra omnes, neque hominem ab homine posse obligari in illo naturali statu, tranquillam omnino atque adeo beatam requiramus humanam societatem, qualem nequaquam dicere possumus, nisi ita sit instituta, ut ex communi & universalissima lege ipsius naturæ quisquis, qui homo saltem est, judicare valeat, ita esse formanda ad normam officia, dicta & facta, ut communis & popularis tranquillitas ac beatitudo illæsa maneat. Quare dictum Hobbesium potissimum in eo aberrasse existimo, quod pactis demum statum illum naturalem reprimendum existimaverit, ita enim in libro suo de cive c. 1. §. 7. *Natura, inquit, dedit unicuique jus in omnia h. e. in statu mere naturali, & antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxerant, unicuique licuit facere, quæcunque & in quoscunque libebat.* Quam sententiam in adversum e diametro mutandam esse censeo, ideo enim pacta naturali jure servantur, quoniam alias communis beatitudo siue tranquillitas læderetur, qua posthabita eadem quæstio in infinitum posset recurrere: quænam vis in ipsis pactis? cur hæc servanda? & cum in sequentibus dicti cap. 1. ita ulterius inferat: *Ex quo etiam intelligitur, in statu naturæ mensuram juris esse utilitatem;* quærendum, qua ratione utilitas privatorum possit esse utilis, ubi sempiterno belli timori exposita.

§. IV.

At vero ubi utilitas illa, quod negligit Hobbesius, pro publica utilitate sumitur, tantum abest ut nege-
mus

mus, eam in statu naturæ mensuram juris esse posse, ut potius coincidere in eandem rem cum beatitudine nostra vitæ humanæ qua humanæ sive tranquillitate populari, aut quod multi hæctenus maluerunt socialitate, firmiter sim persuasus, in tantum ut evidentius apparere arbitrer, & cuique facilius comprehendere utilitatis publicæ legem sive boni communis atque tranquillitatis vel beatitudinis popularis, quam quidem socialitatis, non tamen deprehenditur exinde in effectu ulla differentia, sed synonymice hæc & paria semper habenda, idem enim causantur, eadem officia producant, eundemque finem sibi habent propositum, & quamvis negari nequeat, hominem in statu naturali propriam & privatam utilitatem admodum amare, ita ut communi bono & utilitati libentius præferret, nihilominus mens recti conscia reducere eum potest ad officium, vel eo solo illum corrigendo, quod non fundata & ex asse stabilita utilitate publica, nunquam possit esse tutus in quæsitâ utilitate, cum & alter idem utile indagando provocaret illum & obtorto collo raperet ad locum iudicii Hobbesiani, hoc est, ad defendendam bello parem concupiscentiam. Sic itaque cuiusvis utilitas potissimum quemque ad actiones impellit, nec injuste, si publico bono non obsit, nec communem beatitudinem turbet, quod fit, ubi alter jus in eadem re habet quæsitum, vel ubi pacta non servantur, & sic illa utilitas non potest esse utilis in perpetuis scilicet turbis, in tantum ut sublata utilitate publica, sive tranquillitate communi privata utilitas sit non dabilis, ubi e contrario quisquis hominum utile sibi quoddam quærendo indagaverit prius, annon alius

potius

DE BEATITVDINE IVRIDICA.

9

potius in ea re jus habeat, & sic aliquid quid ab omni præ-
tensione immune acquisiverit, tum demum vitam
suam bene beatam & feliciter tranquillam transigere
potest, tanquam bonus homo, etiamsi civis non sit.

§. V.

Supposita itaque identitate inter utilitatem pu-
blicam, bonum commune, beatitudinem popularem,
sive tranquillitatem multitudinis, & socialitatem, non
tantum ea, quæ de socialitate cum tanta contentione
publice edita atque conscripta sunt, intellectu faciliora
fore arbitror, sed & ultro sequitur, idem juris naturæ
principium ex iis constare, puta principium cogno-
scendi, ex quo scilicet quisque mortalium cognoscat,
quæ sibi incumbant officia, etiamsi non adesset reve-
latio, non autem principium essendi, quam distinctio-
nem scio allatam in medium ab iis, quibus cum aliis
de hac re dissentientibus controversia fuit, inter
quos cum & Excellentissimum Dn. Præsidem adesse
pateat, monendum hoc loco, mihi non stare sententi-
am ea principia qualia sint conciliandi, sed saltem de-
monstrandi, qua ratione colligi facile possit, in eo
omnes convenire, quod tranquillitas & beatitudo ci-
vilis omnino sit quærenda, omniaque homines erga
hominem officia ad eam formanda, eaque neglecta e
statu humano fieri bellicosum imo belluosum.

§. VI.

Dixi, hominem, ubi de vita civili bene beateque
instituenda sollicitus est, cognoscere posse, quæ sibi sint
servanda officia, etiamsi non adsit revelatio, quæ enim
mediante S. Scriptura patefacta nobis sunt, præsup-
ponunt, statum hominum toties quoties mutatum, ita
ut nonnullas leges ad *σκληροκαρδίαν* certi cuiusdam

B

populi

populi latas esse non fit dubium, quæ dicta mutatio si non interuenisset, nihilominus lex illa universalissima juris naturæ obligasset omnes homines, ac eo ipso non excluduntur, quod longe absit, leges revelatæ, prout enim ad politiam Mosaicam quadrabant, seruandæ erant, vel ad Oeconomiam Christianismi pertinent, illæ sæ ad amissim, seruentur necesse est; sed illud saltem infertur, legem naturæ esse antiquiorem, eique leges Christianis expressas superstructas esse, ex sequentibus patescet. Itaque quamvis cum Grotio nemo facile ponet, non esse DEum, quod tamen ubi inquit, ejus enixam ex professo voluntatem non fuisse, supponere, quod non sit DEus, alii liquido demonstrarunt, illud tamen statui posse certo censemus, quod seposita revelatione quisquis erga se & alios officia judicare valeat, quæ res si recte observaretur, ea quæ ex varia interpretatione revelationis tot & tam immanes & inhumanas hominum segregationes compararunt, non possent efficere, ut adhuc hodie barbara quæstio tam sæpe recurreret, quisnam est meus proximus? conscio scilicet unoquoque universa humanitatis officio omnibus competere in omnes.

§. VII.

Puto autem me a recta considerandæ, & inquirendæ veritatis orbita tanto minus recedere, quanto major huius rei auctor est ipse Salvator noster, qui Matth. 7. v. 12. hanc omnis legis summam imo & Prophetarum profitetur, ut quisque in alterum statuat, quod sibi fieri velit, ex quibus constat, illam legem naturæ universalem quoad externas actiones huius mundi sufficere, etiamsi non adesset ulterior revelatio sive legum sive Prophetarum ac consequenter doctrinæ

Evan-

Evangelii, & Salvatorem optimum decidere, etiamsi ultiores leges, nec Prophetæ, nec ulla scriptura adesset, attamen allegatam legem universalissimam sive potius summam retinere naturam fundamenti ac principii, ex quo officia omnium inter se tanquam conclusiones derivanda atque adeo, quod antea diximus, leges expressas & Christianis revelatas esse naturalibus superstructas, cum allegata optimi Salvatoris regula sit naturalissima, nunc satius apparet, sed & quæ de utilitate dixi privata, instabili & infirma sine fundamento utilitatis publicæ ad hanc quoque regulam recurrunt, si enim in alterum est statuendum idem, quod mihi fieri velim, certe utilitatem alterius turbare non convenit, cum hoc sibi nemo velit, accurate itaque hic regula perspiciatur, non privata sed publica utilitas ac beatitudo universalis politica seu socialitas proponitur, non quid in se cuique, sed ex se in alios quid sit statuendum.

§. IIX.

At vero ratione religionis, & cum felicitas status civilis a confessione certæ religionis non dependeat, quomodo occurrendum erit illis, qui de concordia variarum religionum cum statu civili differuerunt? putamus & eos, qui hanc rem quam subtilissime tractaturi fuerunt omnes fere confudisse religionem ipsam, cultum circa illam externum, & confessionem seu fidem historicam; Ubi igitur quæstio est, quæ religio statui civili sit convenientior, respondetur: una illa, nempe Deum ex toto corde timere & amare, ac proximum sicut seipsum, ut qui hanc religionem observat, bonus civis sit; si quærat, quænam fidei confessio, resp. nulla, quid enim hoc turbat rem publi-

cam dubitare de alterius fide vel credere nolle historiam, quam alter credit, quot capita, tot persuasiones; si denique quærat: quisnam cultus permittendus, resp. receptus, consuetudo enim dirigit & informat omnes actus mundi, ideoque etiam in ecclesiasticis consuetudo pia & laudabilis est obseruanda. Carpz. *Definit. Eccles. lib. 1. tit. 3. Defin. 38. n. 6. 7.*

§. IX.

Hæc de tranquillitate & beatitudine universali dixisse sufficiat, quam in omni statu mundi conseruari posse & debere hæctenus demonstravimus, quæ dicta ad formam imperii qualemcumque, siue regularis sit siue irregularis, vel plane monstrosa, applicari posse extra dubium est; Nunc nonnulla quoque de particulari reipublicæ commodo & salute dicenda, idque eo magis propter vulgatum illud: Salus reipublicæ suprema lex est, quod proprie & in genuino sensu capiendum esse certum est, primo ratione obligationis, hæc enim lex fortius obligat omnibus legibus civilibus, & enim Principes & subditos pariter comprehendit, deinde ratione interpretationis authenticæ, quam ad omnes alias leges sibi vindicat, ratione divinæ quidem dubia res videri potest, quod vero & hic salus reipublicæ præprimis consideranda, ex sequenti facti specie apparebit: Imperator quidam judæicus magnæ famæ & auctoritatis, & majoris consilii callidus & admodum habilis duplex homicidium commiserat, pœna hujus erat capitalis de lege DEI, salus reipublicæ desiderare poterat ipsius merita, judex erat vir secundum cor Dei, ita sine dubio justus nec ignarus dispositionis divinæ, quoad homicidia, & quod hæc totam rempublicam & provincias vitient, nihilominus,
donec

donec falus & utilitas reipublicæ id requirebant, difpenfabat & fufpendedebat executionem legis divinæ, illa vero utilitate ceffante, jubebat filio Regi fuffeffori, ne permitteret, ut maleficus ille & homicida etiam fi delicto diu perpetrato in fuma feneftute conftitutus tranquilla morte decederet, prout videre eft *1. Reg. 2. v. 5. 6.* Ratio juftæ decifionis & difpenfationis eft, quod falus Reipublicæ pariter dependeat a Lege Dei, imo vero ipfum principium effe cognofcendæ voluntatis divinæ, ulterius e fupra traditis patefcit. Quare etiam Princeps de jure quæfito privatorum difponere poteft, & illud fufpendere poftulante utilitate publica fuprema lege, cum alias non temere jus alteri quæfitum invito fit auferendum.

§ X.

Progredimur nunc ad beatitudinem, quam diximus particularem, h. e. quæ privato cuique competere poteft, & nihil aliud eft, quam commodum aliquod jure permittente competens, unde vulgatum illud: *Beati poffidentes, gloff. in c. 1. §. fi tertio de pac. tenend.* longe enim commodius eft poffidere, quam alio poffidente petere *l. 24. ff. de Rei Vind.* qui vero nihil poffidet, eft in poffeffione miferiæ, & fic miferabilium perfonarum beneficio uti poteft, cujus mentio fit in *l. un. C. quand. imper. inter pup.* fed hic de beneficiis jure poffeffionis competentibus fermo eft; Poffeffio equidem quoad acquisitionem eft facti, & inde apprehenfionem neceffario requirit *l. denique ff. ex quib. cauf. maj. l. fi quis vi. §. differentia ff. de Acqu. poff.* ideoque heres non eft poffeffor rerum hereditariarum ante factam apprehenfionem, *l. cum heredes ff. de acquir. poff. l. 1. §. veteres ff. eod.* dicitur enim poffeffio a pedum poffitione *l. 1. ff. d. r.* neque

firma exceptio regulæ datur de non necessaria possessionis apprehensione, quamvis nonnulli Dd. talem fingere conentur ratione filii in feudo succedentis, cuius possessionem ipso jure continuare asserunt, at non sufficiunt rationes, quod filii in feudis succedendo patri non acquirant, sed acquisitum capiant, & quod filio vivo patre non deficiat jus, sed tantum administratio, prout allegantur a Bald. in *l. cum antiquioribus num. 11. versic. 10. C. de jur. delib.* & *Jas. in l. in suis ff. de lib. & posthum. n. 5. & 13. seqq.* illæ enim explicationes ad filios heredes ab lodi etiam applicari possunt; hujusmodi pium quoque figmentum traditur de Monacho, qui per ingressum religionis transferre dicitur possessionem in monasterium, de qua re tradit Tiraquell. in *tract. le mort saisit le vif in declar. præf. 6. n. 7.* & communiter Dd. in *Authent. ingressi C. de S. S. Eccles.* quare tamdiu stat ratio communis, donec expressum statutum contrarium probetur, quale Mediolani adesse & communiter in Gallia testatur Menoch. *de Rer. Poss. Remed. 3. n. 59.* simulque jura & remedia omnia tradi possidenti civilissime allegat, hanc enim possessionem civilissimam appellat, quæ observantia quoad descendentes, & quod hi apprehensionem possessionis necesse non habeant, sed in possessione civilissima seu ficta defendendi sint, specialiter fundata est in Ducatu hoc Magdeburgico, & quidem in *Ord. polit. cap. 44. §. 15.*

§. XI.

Quare cautus nec negligens sit quisque heres circa apprehendendam possessionem, hæc enim simul cum defuncto esse desinit, omnis vero hujus beatitudinis fons in hoc apprehensionis facto fundatur, & est vulgo notum, quanto inter illustres beator sit apprehendens

hendens bis mille testibus sine Notario, quam cum Notario & duobus; pariter se res habet cum privatis, quibus necessario apprehendenda possessio tam ratione hereditatis, quam contractuum, ut beati in possessione esse possint; neque circa hereditatem obstat, an quis in patria potestate sit, an non, neque enim iudicis autoritas necessaria est, quilibet enim proprio lubitu possessionem apprehendere potest, Carpz. P. 3. C. 9. defini si res ab alio possideatur, tunc enim iudicis concessionem opus est, & hoc quidem sub amissione juris propter l. 13. ff. quod met. caus. de possessione instrumentali, quæ per Notarium & testes fit, & quem usum inter privatos habet, vid. illustr. Dn. Stryk. de Caut. contr. S. 3. cap. 3. §. 11. idem tamen in contractibus necessaria maxime est traditio, ut inde firmetur possessio, in rebus enim absentibus non sufficit traditio instrumentorum, nisi expresse addatur, quod ea intentione tradita sint, ut possessio inde tradatur Carpz. P. 2. c. 33. def. 15. etenim de L. 1. C. de donat. & quod illa saltem intelligatur de eo casu, si traditio instrumentorum non possit habere usum, nisi res ipsa tradita intelligatur, ut & de variis modis traditionis vid. alleg. illustr. Dn. Stryk. ibid. Sect. 2. c. 8. §. 22.

§. XII.

Constat itaque acquisitionem possessionis facti esse, acquisita autem pertinet ad species juris, l. 2. §. 38. ff. ne quid in loco publico & ita probe distinguendum inter possessionem ipsam & apprehensionem illius, quod neglexisse nonnulli admodum docti videntur, ubi ipsam possessionem meri facti esse asseruerunt, nec tamen negare valuerunt insignes juris effectus, possessioni non denegandos; At dicunt, & fur & prædo & malæ fidei possessor vere & plenissime possident: Verum hoc
nega-

negatur, nam ideo quia possessores sunt, hanc possessionem remediis possessoriis, interdictis, uti possidetis, de vi & vi armata aliisque etiam contra dominum ipsum defendere possunt, donec de causa cognoscatur, & ita ante causæ cognitionem non dici potest, eos esse fures, prædones, sed saltem possessores; illud tamen certum est, jus hic intelligi pro facultate legibus competente, quam quoque jus dici & insignem juris divisionem constituere vulgatum est, quapropter factum mere physicum separandum ab ea facultate, quæ conjuncta est cum effectu juris, quem producit, ita enim ususfructus, usus & habitatio quoque dici possent meri facti esse, quia horum usus in mero facto consistit, ut vero e solo usu non cognoscitur servitutis jus, ita nec e solo physico usu possessionis determinatur jus possessionis, sed partim ex qualitatibus concurrentibus, scilicet animi pro possessione necessitate, partim ex effectibus immediate ex possessione profluentibus, qui non possunt non esse effectus juris, & quod ab initio factum est, potest ex post facto juris fieri. vid. illustr. Dn. Stryck in Not. ad Laut. tit. de acqu. vel am. poss. verb. juris est.

§. XIII.

Quapropter non est dubium, quin sola & nuda possessio, etiamsi non sit titulata, vel alias qualificata, propria virtute possit tribuere beneficia, ac reddere possessores beatos; interim non est negandum, possessionem titulata, vel quæ bonæ fidei saltem est, vel aliam qualificatam, scilicet quæ nec vi nec clam nec precario acquisita, potiores in jure habere effectus, quare duplicis potissimum generis possessores beati hic considerandi veniunt, illi, qui nudi tantummodo possessores sunt, & qui qualificati dici possunt.

§. XIV.

§. XIV.

In processu itaque summarissimo, qui etiam summarius & extraordinarius respectu ordinarii appellatur, & insigne admodum commodum & effectus possessionis vocari meretur, sola ratio habetur quæstionis *an?* An scil. aliquis tempore litis motæ in possessione inveniatur, quod si enim eum vel vi vel clam, vel precario possidere alter probaturus fuerit, hactenus non admittitur, sed ad processum summarium seu possessorium ordinarium remittendus est, ubi juris ordine servato proceditur, ac requiruntur pleniores probationes, neque enim modici præiudicii est propter sententiam, quæ fertur, definitivam, in summarissimo enim neque exceptiones altioris indaginis neque denique remedia suspensiva admittuntur *l. 1. C. si de Moment. poss. fuer. app.* de qua re vulgata praxis est, v. *Gail lib. 1. Obs 7.* quamobrem facile constat, ad hunc processum pertinere causas nudæ possessionis & ubi de beatis possidentibus dicimus non posse nos tales possessores excludere; De diversis, quomodo beati sint, quidam casus suppeditandi, ex quibus potissimum beatitudo possessionis elucescere possit.

§. XV.

Et quidem quoad ipsum processum possessorium illud adhuc beneficium se præsentat, quod quoniam in summarissimo proceditur per mandata & inhibitiones, non statim primo mandato, licet sine clausula sit, parere necesse habeat possessor, sed potest possessionem suam allegare & justificare; intelligitur enim inhibitio facta salva justificatione possessoris, utpote quæ clausula justificatoria omitti nequit, *Matth. Coler. de processu executivo part. 1. cap. 2. n. 276.* omissa vero

reddit inhibitionem nullam, quæ tunc impune spernitur Jafon. in *l. nec quicquam*. § ubi decretum num. 6. ff. de off. procons. Imo si quis Rescripto Principis instructus possessorem turbare velit, hoc non audito, Rescriptum vires exercere nequit, quoniam hoc casu, h. e. si contra possessionem datum sit, intelligitur sub- & obreptitium *l. fin. C. si per vim vel alio modo* ita enim generaliter intelliguntur Rescripta Principum, ut nemini faciant injuriam *l. ex facto ff. de vulg. & pup.* nonnulli tamen causas fractæ pacis hic excipiunt & inde illorum causam summarissimam a summaris distinguunt, sed iniqua illa sententia est. Itaque si quis possidentem vi turbaturus est, potest possessor iustæ tutelæ moderamine vim vi repellere & ita resistere impediendi *l. ult. ff. de Acquis. Poss. Cammer: Gerichts Ordn. p. 2. t. 9. §.* So jemand in fin. imo judici ejusque officialibus, si sine causæ cognitione procedant, recte resistitur, *l. 5. C. de jur. f. sc. l. 5. C. de execut.* Illud quoque addi potest quoad processum summarissimi commodum, quod qui in hoc processu obtinuit, etiamsi postea in petitorio deficiat, ad restitutionem interesse & expensarum non teneatur, fructuum quoque perceptio victori in possessorio acquiritur, quoniam illos jussu judicis acquirit, adeoque bona fide possidet & ita, donec de petitorio constet, suos facit. *l. 4. §. post litem ff. fin. regund.* Probatio itidem in possessorio omnino facilior, & est potius qualis qualis allegatio ad inducendam præsumptionem hominis, vulgo *Bescheinigung*, in qua assumuntur argumenta artificialia & martificialia probatio semiple-na, per unum testem interdum non juratum, de quo genere probationis pluribus tradit *Wesenb. Conf. 20.*

§. XVI.

In tantum vero sola possessio beat, ut nemo possessionis suæ titulum edere teneatur, (quæ enim sæpe & cum fructu pro colorando possessorio adducuntur, quod tamen communiter cum protestatione fieri solet, a probatione tituli valde differunt,) quandoquidem præsumtio militat pro possessore, quod titulo & jure non careat, *Carpz. p.1. C.1. F.def. 23.* At interpellabunt ii, de quibus paulo ante dictum: Ergo illi effectus non ex possessione, quæ facti est, oriuntur, sed ex præsumto titulo & jure; sed salva res est, ideo enim, quia omnis possessio talem præsumtionem sua natura secum conjunctam habet, & producit, facultas jure competens est, quæ ipsa quin jus dicatur non est dubium, neque præterea præsumtio est pro mero facto, utpote quod semper probandum, at vero pro possessione est præsumtio, & quidem tanta, quæ onus probandi in adversarium transfert *Carpz. dict. loc.* De cetero præsumtio quoque est pro possessione, quod quilibet præsumatur rem possidere titulo minus oneroso, & magis jure suo & proprio, quam alieno, etiamsi possessor annum quid solvat, quare res possessa magis præsumitur censualis quam feudalis, vel emphyteutica, & nec emphyteutica præsumitur, etiamsi canon pro emphyteusi solvatur, si possessor neget emphyteusim esse, nisi dominus illam esse doceat, v. *Wesenb. Conf. 4. n. 10.* rursus si res possessa aliunde pendeat, & recognoscatur, attamen potius emphyteutica quam feudalis, & iterum potius allodialis quam feudalis æstimatur *Bald. in L. libert. 1. num. 36. C. de oper. lib. Jas. in prælud. feud. n. 66. 67.* Ceterum præsumtio quoque est pro possidente, quod suo proprio, non alieno nomine teneat, vel beneficio,

neficio, vid. Wefenb. n. 9. & successores intelliguntur possidere titulo & jure majorum & antecessorum, quippe quorum jure utuntur, l. 11. ff. de diversis & temporal. præsc. causa enim possessionis non intelligitur mutata, l. 19. ff. de acquir. possess. donec alius titulus probetur l. si ve C. de Probat. quare antiqua possessio præsumitur habere justitiam permanentem, Cyn. ad l. 4. §. f. ff. de fid. Instrum.

§. XVII.

Illud certum est, judicis quoque officium circa processum possessorium multum valere, si enim certum remedium non sit præscriptum, accedit arbitrium judicis, quare recte Menochius remediis possessoriis deductis, addit remedium possessorium ex judicis officio; non enim semper apparet, quisnam sit possessor, ita ut sæpius a diffidiis ad arma partes deveniant, quæ ut evitentur, committitur maxime Judicis officio in l. 13. §. æquissimum ff. de usufr. dicitur vero hoc iudicium a nonnullis remedium conservandæ possessionis, & se habet ad iudicium principale possessorium retinendæ, uti hoc ad iudicium de proprietate, Natta Consil. 121. n. 2. ac potissimum ubi difficilis dijudicatio est, quis possessor sit, locum habet, quæ enim Menochius de ret. poss. remedio ult. n. 16. de civilissima possessione, quam jam antea descripsimus, tradidit, illa ad hoc iudicium non pertinere existimamus, sed illum possessorem ordinario retinendæ uti possidetis remedio, aliisque pro diversitate circumstantiarum uti posse credimus. Quare hoc remedium officii judicis potissimum hunc effectum fortiri putamus, quod in causis possessionis dubiæ interloquendo iudex de possessione ipsa cognoscat, illamque vel alteri partium in tantum tribuat, vel utrique compossionem, vel neutri, & ad sequestrationem procedat.

§. XIX.

§. XIIX.

Equidem extra hunc casum, & prægnantem necessitatem metumque extraordinarium ad sequestrum judiciale non facile judicis est provolare, est enim sua natura regulariter prohibitum propter utilitatem possessionis, qua, cui competit, non facile privandus est, in tantum, ut possessor, qui ante factum sequestrum, tenuit, eumque tenuisse, causa cognita appareat, semper adhuc habeat interdictum uti possidetis, nec enim per sequestrum possessione privatus est, sed potius mediante persona sequestri possessionem continuavit, cum custodiæ causa saltem res sequestrata videatur, ita ut ad usucapionem quoque ea possessio procedat, per *l. inter esse 39. ff. de acquir. vel am. poss. v. Bart. & Bald. in l. un. C. de prohib. sequ. pecun.* Aliud est in sequestro voluntario, ubi sequestro potius interdictum redditur, hic enim possidere dicitur, in *l. licet 17. §. 1. ff. de pos. quoniam id agitur ea depositione, ut neutrius possessioni id tempus procedat. Vid. omnino, quæ de notabili hac materia elegantissime & ex professo tradidit Wesenb. Conf. 7. n. 7.* Ceterum an controversa possessio faciat rem litigiosam quæstio est, & sciendum, rem litigiosam alias non esse alienabilem, & qui rem litigiosam emit, contra eum fieri posse executionem absque novo instituto processu, veluti, si quis lite pendente rem alienavit, ipso jure nulla est venditio, & emptor sine ulla exceptionis oppositione ad restitutionem tenetur, *Gail. lib. 1. Obs. 118. n. 5.* at vero exceptio est ratione controversæ possessionis, utpote quæ rem ipsam litigiosam non reddit, ideoque pignori dari, & alienari sine dubio potest, *Natta Conf. 2. n. 2. in fin.* dicitur enim res

litigiosa non aliter, nisi de dominio controversia moveatur *authent. litigiosa C. de litigios.*

§. XIX.

Haecenus de beneficiis circa processum ipsius possessorium, ubi multum valuit praesumptio bonitatis, at nonnunquam etiam beatus esse potest possidens, cui non potest tribui huiusmodi praesumptio, sic enim, etiamsi cognitum sit aliquem ex turpi causa possidere, a tamen non tantum in possessione, sed & per consequentiam in dominio eius quod possidet defendi potest, dummodo alter, qui rem vel dedit, vel praetendit in pari turpitudine versetur, quod enim ob turpem causam datum, (quae qualis sit *v. l. 42. ff. de V. S.*) condictione ob turpem causam repeti nequit per *l. 8. pr. l. 3. ff. de condict. ob turp. l. 2. C. eod.* neque obstat, quod nemo ex malitia sua debeat sentire commodum, cum per malitiam possit compensari *l. 3. §. 3. ff. de eo per quem facta in qua cum duo sint constituti, possessor adhuc gaudet praerogativa possessionis, aliud exemplum adest in *l. servum §. sequitur ff. de Verb. Obl.* ubi & creditor & debitor fuerunt in culpa levi, propter possessionem autem debitoris conditio melior est, nam dum quaeritur de damno, inquit autore Celso adolescente *l. Ctus & p. utriusque causa sit, quare non potentior sit qui tenet quam qui persequitur.**

§. XX.

Unde generalis regula prodiit: si dantis & accipientis eadem sit turpitudine, potiore esse causam possessionis, quare aleatores propter perditum non solum non habent actionem *l. f. C. de Aleat.* neque propter solum repetitionem, ob rationem paritatis turpitudinis exhibitam in *l. 3. ff. de Condict. ob turp. caus.* prout

pecu

pecunia, ut male iudicetur, data, eadem definitio additur. Cujus rei adhuc egregium exemplum est, si plures in solidum ex delicto actione rei persecutoria teneantur, veluti fures, vel tutores male administrantes, & alter pro reliquis solverit, quoniam singuli in solidum erant obligati, quod non habeat regressum adversus eos, qui lucrum suum male partum adhuc possident, denegata solventi actione ad repetendum *in l. 1. Cd. condict. furt. § l. si plures 38. §. fin. ff. de admin. § per. tut. Brann. ad L. 6. ff. de cond. furt.* tantum interest inter beatitudinem theologicam & hanc civilem, ut qui ibi damnati, hic beati possidentes appellari mereantur: at quoad ultimum casum adhuc monendum, quod hæc sit natura communis omnibus negotiis, ubi plures in solidum obligantur, etiam in contractibus & ubique, non enim facile casus dabilis est, quod is, qui cum altero in solidum tenetur, possit partem repetere, nisi quod Dd. hoc admittant incessis a creditore actionibus, at illa actio non partem sed totum debitum comprehendit, ergo tunc alteri quoque actiones cedendæ essent, & sic in infinitum, quod ridiculum foret, neque propter negotium alterius gestum alter, qui in solidum condebitor solidum solverat, repetitionem fundare potest, suum enim negotium gesserat, dum solverat quod debebat.

§. XXI.

Progredimur ad concursum eorum, qui æque justum contractum celebrarunt, & pari justo titulo eandem rem sibi acquisiverunt, vel sane acquirere voluerant, veluti si duobus eadem res sit vendita. Certe non est dubitandum, quin is, qui per traditionem adeptus est possessionem, alteri præferendus sit, *v. l. sive autem §.*

si duobus

si duobus ff. de publician. Conductores quidem si duo concurrant, ultimus quidem conductor non potest impedire, quominus dominus fundum alteri cuidam locari valeat, attamen exceptio est quoad conductorem praediorum publicorum, ubi ultimus possessor si idem offerat, quod novus conducturus, praeferrri debet, testatur *Carpz. p.2. C. 31. Def. 8.* alius casus de duobus nempe rivalibus adest in *l. 1. §. si inter rivales ff. de aqu. quot. & aestiv. v. l. 1.* Ulpianus respondet, Interdictum duplex reddi, quomodo capiendum, post varias explicationes refert *Menoch. de Ret. poss. Remed. 6. n. 15. 16.*

§. XXII.

At vero si eadem res duobus obligata sit, videtur sine dubio decisio, quoniam ibi prior tempore potius iure, si autem temporis prioritas non constet, vel eadem res quibusdam simul obligata sit, tunc distinguendum: an adversus extraneum uterque instituat actionem, an inter ipsos quaestio moveatur; si adversus extraneum forte Salviano interdicto agant, eodem singuli in solidum utuntur, *v. l. 1. §. 1. ff. de salv. Interdict.* Si vero inter ipsos quaestio est, dicendum, si alter possideat, illum esse praeferrendum, etiamsi enim alter sibi in solidum rem obligatam esse probet, competit tamen possidenti exceptio, *si non convenit, ut eadem res mihi quoque pignori esset, prout illa traditur in l. 10 f. de pignor.* Si vero a non domino quis pignus acceperit, deciditur *in l. 1. ab eo. 18. ff. de pignor.* quod serviana uti possit quemadmodum debitor, qui pignus dedit, publiciana, observandum enim, eum appellari non dominum, qui publiciana institui potest, nam si res aliena esset, plane non valeret pignus, at ubi a diversis non dominis duo eadem rem pignoris loco obligatam habeant, certum iterum

iterum inter eos beatus erit possidens, & alteri præferendus, per expressam decisionem in *l. 14. ff. qui potior. in pign.*

§. XXIII.

Hiscæ præoccupatis, nunc etiam nonnulli casus de jure personarum, rerum & actionum addendi veniunt. Et quidem ratione personarum primo loco possessionem filiationis aggrediamur, de qua multa & varia in jure nostro prodierunt; Etenim quandoque illa possessio est mere præsumptiva, veluti quæ ex nominatione patris elicitur, quam tamen solam nominationem ad fundandam quasi possessionem filiationis non sufficere, & qui termini habiles circa hanc possessionem sint supponendi, vid. omnino Natta *Conf. 373.* Quædam vero possessio filiationis præsumptionem juris pro fundamento habet, veluti quæ favore justæ matrimonii nititur, ut is dicatur legitimus filius, quem nuptiæ demonstrant, per *L. miles §. defuncto ff. ad L. Jul. de adult.* & hæc quasi possessio filiationis non evertitur, etiamsi mater contrarium dicat, imo etiamsi mater cum alio cohabitaverit, pater tamen etiam habuerit accessum per rationem positam in *alleg. l. miles ff. ad L. Jul. de adult.* tunc enim etiamsi pater incertus sit, manet præsumptio pro possessione filiationis, quæ valet, donec ab alio probeatur contrarium per *l. non ignorat. C. de his qui accusare non poss.* & ideo filius natus ex adultera nec ab hæreditate patris, nec matris, nec agnatorum nec cognatorum per exheredationem potest excludi, dum enim filius præsumitur, legitimus est. Vid. de hac materia Excell. *Dn. Thomasi dissert. de Filio sub conditione, si se filium probaverit, herede instituto.*

§. XXIV.

Ratione personarum, qui infamia notandi vel non etiam nonnulla beneficia allegari possunt, ut aliquis in quasi possessione famæ remaneat, etiamsi actus famosus & a Legibus infamia notatus judicialiter ad acta & sufficienti probatione demonstratus sit, & hoc quidem ratione quorundam delictorum publicorum verum est: de stupro *vid. l. 7. ff. de publ. jud. §. 4. 1. eod. de prævaricatoribus l. 4. §. 4. ff. de his qui not. int. ibique de calumniatoribus, plura exempla adsunt in l. 2. §. 2. l. 6. & 5. ff. eod. ratio commodi in eo consistit, quod in hisce & huiusmodi casibus nemo fiat infamis nisi antecedente Judicis sententia declaratoria, quoties igitur hæc sententia nondum lata & ita condemnatio nondum facta, hæcque condemnatio & sententiæ pronuntiatio evitari possit, quod pro cautela notandum, non sufficiat facta probatio, est enim talis sententia de necessitate; de possessione feudi idem dicendum, nam & hæc nisi præcedente sententia declaratoria ob feloniam non amittitur Gail. L. 2. Obs. 51. n. 1.*

§. XXV.

Ad res quod attinet, primo accedat possessor rerum immobilium, hic enim illud commodi habet, quod a satisfactione iudicio sisti liberetur. Carpz. P. 1. c. 26. Def. 7. it. L. 2. C. 7. Def. 9. clara enim hujus rei dispositio est in l. sciendum ff. Qui satisfacere cog. ab hoc onere quoque immunes sunt possessores annuorum reddituum, utpotest qui possessoribus immobilium comparantur, Gail. L. 2. Obs. 16. n. 6. proinde arrestum quoque non habet locum adversus possessores immobilium, quoniam illa saltem sustinentur loco remedii adversus debitores extraneos & advenas & de fuga vel etiam de cessione bonorum suspe-

suspectos, vid. alleg. Gail. *lib. 2. Obs. 44. n. 10.* in tantum ut actio injuriarum competat possessori immobilium adversus eum qui arrestum petiit. *l. 15. §. 31. ff. de injuriis.* Illud quoque hic notandum, quod rerum immobilium possessio oblivione non amittatur, quæ enim jura de possessione per oblivionem amittenda statuunt, si scilicet id quod possidemus, ita perdiderimus, ut ignoremus, ubi sit, *l. 25. pr. ff. de Acquir. poss.* de possessionem obilium saltem intelligenda, immobilium enim possessio oblivione sola non amittitur, velut, si agri, quem possideo, vicinos possessores oblitus fuerim, & hinc agrum ipsum invenire nequeam, nondum possessione cecidi, quamdiu enim derelicta res immobilis non habetur, non amittitur, *l. 3. §. 6. ff. eod.* idem dicendum de re mobili, quam quidem ignoro, in domo tamen mea est, sic enim possessione domus animo omnes res in ea contentas comprehendo *per l. 44. ff. eod.* vid. Illustr. Dn. Stryk. *de Jur. Sens. diff. 9. cap. 3. n. 11. & seqq.*

§. XXVI.

De possessione rei alienæ etiam quodammodo beneficia quædam adducenda veniunt, ita enim *in l. 15. ff. commod.* Commodare possumus etiam alienam rem, quam possidemus, tametsi scientes alienam possidemus, in tantum scilicet ut commodati actionem instituere possimus adversus commodatarium, quæ actio nec furi nec prædoni, si commodaverit, denegatur, *per l. 16. ff. eod.* De emptione venditione res quoque clara est; qui enim rem alienam possidet titulo emptionis, non tantum verum emptionis contractum celebrasse dicendus, *l. 28. ff. de contr. empt. l. 30. §. 1. de act. empt.* sed & pro immobilium possessore habendus, & horum jure utitur, & actio ex hoc contractu redundans ei conceditur *arg.*

l. 16. ff. commod. nec obstat, quod emptor sciverit rem venditam alienam esse, propter generalitatem, all. l. 28. de contr. empt. de pignore res aliter se habet, qui enim rem alienam scienter pignori possidet, furti tenetur. l. 36. ff. de condict. indebit. ubi tamen alius casus suppeditatur pro beatitudine possidentis, verbi gratia, si quis alienam pecuniam solverit, ut pignus inde redimeret, si ipsius nomine pecunia sit soluta, qui pignus dedit, hoc est si accipiens illam alienam pecuniam b. f. possideat, ad restitutionem illius compelli non posse; Ceterum quoad precarii concessionem illud adhuc singulare est, quod si quis rem alienam precario dederit, veluti si Titius me rogaverit, ut re Sempronii uteretur, interdictum mihi competit non Sempronio l. 8. pr. ff. de precario.

§. XXVII.

Sequitur nunc de possessione rei corporalis ex parte, & quidem si res continuæ sint & individuæ, eas per apprehensionem partis possessor in totum possidere intelligitur, Cothm. Resp. 72. num. 11. Natta Conf. 429. nec necesse est, quod quis perambulet singulas glebas terræ, sed aliquam pro lubitu partem fundi introire sufficit, cum intentione capiendæ possessionis totius fundi l. 3. ff. de acqu. poss. v. Scaccia de Judiciis lib. 2. c. 19. n. 12. 42. neque obstat, quod quædam pars commodioris culturæ gratia per septa seu fossata a reliquis distincta sit, Gratian. discept. verrens. c. 425. n. 27. & seqq. & ita quoque per possessionem partis retinetur possessio totius Gratian. d. c. n. 38. ex possessione quoque principalis infertur ad possessionem annexorum, si inseparabilia sint, & sine quibus principale non potest operari Menoch. Conf. 1279. num 67. 68. Gail. tr. arrest. c.

l. n. 5. quare & hodie si Princeps civitatem Metro-
 politanam eo animo ingreditur, ut possessionem totius
 provinciæ apprehendat, videtur accepta possessio to-
 tius provinciæ. Peregr. *de fidei com. art. 48. n. 76.* Ita quo-
 que se res habet ratione feudi, quo apprehenso intelli-
 guntur apprehensa omnia feudi accidentia, videlicet
 omnes pertinentiæ annexæ & dependentes, quia non
 præsumuntur separata a suo principali. Molin. *in con-
 sult. Paris. est in verb. le fief. p. 81. & seqq.* quod si vero
 feudum sit amplum, & plura feuda sub se contineat,
 an sufficiat unius feudi acquisita possessio, quæritur,
 & respondet Zasius *in epit. jur. feud. p. 6. n. 70.* Ego in hac
 varietate dicendum puto; quod feudum aut continet sub se
 alios fundos tanquam partes totius universitatis, tunc appre-
 hensa feudi possessione credo & fundorum apprehensam arg. l.
 possideri §. quod autem ff. de A. P. aut vero plures fundi in
 feudum dati sunt, qui inter se ita sunt loco separati, ut ad
 nullum totum recipiant, puto quod unius fundi apprehensa pos-
 sessione aliorum non acquiratur, nisi corporalis interveniat
 apprehensio. Et ita quoque intelligendus est Postius.
 Obs. 73. n. 88. quando statuit, quod possidens domum
 dicatur etiam possidere hortum & apothecam scil.
 si illi annexa sint, & hi sunt termini dabiles qui sup-
 ponendi sunt ad l. 3. ff. de acq. velam. poss. ut firmari de-
 mum possit regula, quod qui partis possessionem ap-
 prehendit, totius rei possessionem acquisivisse videat-
 ur, nam & qui aurem alicujus tetigerit, totum eum
 videtur terigisse l. 21 pr. ff. de furtis, eadem res est, si quis
 boves & oves possidere velit, gregem & armentum, nec
 enim ibi requiritur apprehensio omnium, sed pro par-
 te acquisita possessio sufficit. Peregr. *de fideicom. art. 48.*
 n. 74. item in rebus, quæ in pondere & mensura con-

sistunt, partis facta apprehensione totius possessio fundata est. Gratian. c. 425. n. 30.

§. XXVIII.

Circa res incorporales videtur primo distinguendum cum Baldo & Menochi *Rem. 4. num. 393.* aut enim incorporalia versantur circa corporalia, aut non versantur, veluti obligationes & actiones, quippe quæ personalia sunt & personæ cohærent, & hoc casu per apprehensionem rerum corporalium, incorporales non censentur apprehensæ, illo autem casu, ubi incorporalia versantur circa corporalia, sicuti servitutes circa prædia, horum apprehensione omnino illæ comprehenduntur, & apprehenso feudo possidetur quoque jus patronatus, venandi & reliqua, in se vero incorporalia pro parte acquisita comprehendunt possessionem totius rei incorporalis Andr. de *Ifern. ira c. 1. in vol. 2.* & apprehensa possessio in uno capitulo jurisdictionis, extenditur quoque ad alia Surd. *Conf. 323. num. 44. § seqq.* quare concludit Besold. *P. 6. Conf. 270. n. 29.* quod unus actus tam ad acquirendam quam conservandam universalis juris incorporalis possessionem sufficiat, & Carpz. *P. 2. C. 3. Def. 27.* exinde arbitratur, quod qui laudemii perceptionem pro majore parte provincie docere possit, videatur quoque probasse possessionem in reliquis locis ejusdem provincie & eidem jurisdictioni subjectis. Notum proinde est, quod cui omnimoda jurisdictio concessa, possideat omnes species ejus, veluti merum & mixtum imperium, & simplicem jurisdictionem, quamvis unus vel alter actus ad alteram tantum jurisdictionem pertinens exerceatur. Cothm. *Resp. 72. n. 41. 42.* Mascard. *de Probat. verb. jurisdictio concl. 946. num. 36. § seqq.* quomodo alias pro-

probanda possessio totius juris & rei incorporalis per partem possessæ multis & diversis & elegantibus exemplis traditis videre licet apud Cothm. *Vol. 2. R. 72. num. 22. & seqq.* Gratian. *in discept. for. cap. 426.* Modest. *Pist. Conf. 21. n. 78. 79.* Klock. *T. 2. Conf. 61. n. 126.* Gail. *Lib. 2. Obs. 68. n. 5.* Illud vero possessionis beneficium pro parte competentis, non est omittendum, si quis rem possideat, cujus partem alter tenet ratione communionis, sane si totum sit individuum, alterius exercitium alterius negligentis jus conservat; quare qui rem cum fisco communem habet, non excluditur, nisi eadem præscriptione, qua fisco. Amaya *in 3. post. lib. Cod. tit. de vend. rer. fisc. num. 14.* & quando privatus jus habet commune cum Ecclesia Romana, non currit ei præscriptio nisi centenaria *text. in C. ad audient. §. fin. de præscr. Felin. in c. placuit. n. 6. de præscript. aliud beneficium adest in l. 42. ff. d. acquir. vel am. poss.* Quibus adhuc illud potest addi, quod is, qui cum aliis simul possidet, si prohibeat quod alteri placet, potioem habeat causam *per l. 28. ff. com. divid.*

§. XXIX.

Præterea jus retentionis etiam insignis effectus & commodum possessionis est, si enim res pignoris loco obligata, soluto vero debito, pro quo pignus contractum, aliud adhuc debitum restet, siue hoc factum sit ante, siue post dationem pignoris, modo liquidum sit, potest a possidente creditore pignus teneri, donec omne debitum solvatur, *si enim in possessione fueris, inquit l. un. C. etiam ob chir. nisi ea quoque pecunia tibi a debitore reddatur, vel offeratur, quæ sine pignore debetur, eam restituere propter exceptionem doli mali non cogeris.* Atque si qua specie possidentes beati sunt, certe retentionis
jure

jure proprii quasi judices dici possunt; sic quoque mulier jus retentionis in omnibus mariti bonis habens, etiam pro portione statutaria & lucro dotali, si per suasa ex possessione discesserit, tanquam spoliata restitui, debet teste Carpz. *p. 2. c. 25. Def. 8.* an vero ob expensas in rem depositam factas jus retentionis locum habeat, varia inter LL. interpretes controversia est propter *l. ii. C. Depof.* & a nonnullis negatur, quoniam & exceptio doli ibi denegata, at vero quomodo hujus denegatio capienda, ex subsequentiibus immediatis verbis declarandum, veluti si depositarius alias actiones habeat, quæ explicatio analogica est *l. un. C. etiam Chir.* etenim ratione juris retentionis ob expensas melioramenta possessor singularia jura habet, in tantum ut spoliatus quoque rem spoliatam restituere non teneatur, ante solutionem meliorationis, auctore Ga *l. 2. obs. 12. n. 6.*

§. XXX.

Antequam nunc ad jura actionum accedamus, quæstio illa præprimis decidenda erit, an etiam possessor agat; sane qui possessionis beneficio gaudet, non facile ratione possessionis actoris vices geret, at illud dicitur communis circa res corporales verum esse dicitur, ratio enim incorporalium exceptio adfertur, & multifariis exemplis comprobatur in §. 2. *f. de act.* ubi adducuntur possessores actores, & a reo obtinentes, vel jus sibi et ædes suas altius tollendi, prospiciendive, vel projiciendi aliquid, vel jus non esse adversario, utendi fruendive, agendi aquamve ducendi, illud vero genus actionis in controversiis rerum corporalium proculdubio non esse dicitur, neque certe puto novum illud genus actionis in latioribus digestorum libris inven-

tum esse ab iis, qui famosum illum casum unum quæ-
 siverunt ultra metas & terminos allegat. §. 2. prout ex
 innumeris commentatoribus ad Instit. apparet, v.
 Hopp. *ad dict.* §. cui vel ipsi placet a nonnullis allegatus
 casus ex *l. officium ff. de R. V.* & etiam non improbabilis
 videtur ille, qui in ipsa actione confessoria & negatoria
 comprehenditur, quæ sententia quoque intentioni
 legislatoris convenientior est, utpote in famoso illo §.
 ex professo declarata; verba enim illa finalia *sane uno
 casu* referentia sunt, quorum relatum in verbis antece-
 dentibus, satis erat designatum, & uberior saltem tra-
 ctatio promissa in Digestis, sive itaque cum Theophi-
 lo legas *sane hoc uno casu* sive non, antecedentia tamen
 & tota analogia declarant ultima dicti §. verba saltem
 repetitoria esse, & remissiva ad ulteriorem in Digestis
 declarationem, in quibus ratione actionis confessoria
 & negatoria, idem contextus & eadem tractandi ra-
 tiopræsto est *v. l. 6. §. 1. l. 8. §. 3. ff. si serv. vind.*

§. XXXI.

Hæc monuisse sufficiat adversus eos, qui casum
 illum e Digestis erui posse crediderunt, at vero si peni-
 tius res inspiciatur, indagando præprimis, an per rei
 naturam possidens unquam, vel etiam ratione rerum
 incorporalium agere possit, & puto, sane nullo casu
 eum, qui possidet actoris vices obtinere; videamus de
 eo, qui tot exemplis in sæpius allegato §. 2. *de act.* com-
 probatus putatur, videlicet, si quis agat, jus sibi esse
 ædes suas altius tollendi, tunc actor possessor quidem
 ædium suarum esse potest, sed illa possessio non est in
 quæstione, cum sine dubio supponendi sint termini
 habiles, & hic quidem, quod alter prætendat servitu-
 tem altius non tollendi, & igitur actor cupit possidere

E

sine

sine controversia & præensione, quod cum dubio & lite timenda tenebat, & ideo agit de eo, quod non possidet, si enim omnia haberet cum omnibus qualitatibus, quarum causa actor est, cur fodes periculosas actoris vices gereret nisi stultus, ut adeo nec illi, qui casum unum in Digestis quærunt, nec qui in Institutis, talem invenisse putandi, sed auctor §. 2. magis lusum ingenii quam legalem determinationem monstrasse dicendus sit; similis decisio est reliquorum exemplorum cum rei natura decidat, quod paradoxon putabatur. Ubi e contra possessor omnem curam adhibere debet ne ad agendum se induci vel provocari patiat, ut ita possessionis beneficio privetur, etiam in casu L. diffamari, de quo vid. Illust. Dn. Stryk. in *Introd. ad Proc.* cap 5. §. 12. hic enim quilibet provocari potest excepto possessore.

§. XXXII.

De actionibus quando sermo est, tertius præpmissis possessor beatus dici potest, & quandoque etiam si iudicium sit reale, in genere enim ubi res vindicanda maxima possessor commoda possessionis habet, etenim quanta ab agente probatio in rei vindicatione requiratur ratione dominii, quod pro fundamento est aliunde satis constat, & licet Publiciana actio a Prætoribus æquitatis & remedii causa introducta sit, nihilominus multa quoque possessori commoda supersunt, illa enim actio datur adversus infirmiori jure possidentem, si itaque possidens in pari causa sit cum agente, hoc est si pariter rem bona fide & justo titulo a non domino accepit, potior omnino est ratio possidentis, & cessat æquitas Prætoribus ratione agentis, ob quam a Prætoribus actio introducta est, multo minus hæc actio datur adversus ipsum

ipsum dominum, utpote qui firmissimo jure possidet, egregius tamen adest casus *in l. 28. ff. de nox. act.* ubi nec ipse dominus rem a possessore vindicare potest, si scil. possessor ex noxali causa rem acceperit, nisi litis æstimationem offerat dominus, exceptione enim doli mali summo veri potest, ratio decisionis ex eo facile apparet, quod dominus rem ex noxali causa ipse tradere fuisset coactus, quem itaque de eadem causa tenet actio, eum agentem multo magis repellit exceptio.

§. XXXIII.

Ratione hereditatis petitionis alias certum est, eum, qui titulo possidet, illa non posse convenire, quare per consequentiam titulum edere tenetur *l. ii. C. de hered. pet.* at vero si v. g. circa titulum emtionis illud esset notandum, quod pro provinciæ requisita necessitate judicialiter non sit facta, vel resignatio judicialis non sit adhibita, an & tunc possessor a dicta actione liberetur, quæstio magis dubia occurrit, puto autem nihilominus dicendum, posse & hunc tanquam titulum possessorem liberari, etiamsi enim emtio vend. non sit solennis, attamen eum effectum omnino producit, ut aliquo titulo possessorem augeat, ad minimum tali, qui habilitatem usucapiendi efficere potest, in tantum, ut emtor non possit pro herede vel pro possessore dici possidere, quæ juris tractatio conveniens & analogæ est *l. 4. C. in quib. caus. cessat long. temp. presc.* in qua omnino tituli allegantur, saltem ad conditionem usucapiendi sufficientes, quare non sine ratione formatur regula: Qui titulus sufficit usucapioni, sufficit quoque absolutioni ab hereditatis petitione, ubi tamen illud monendum, quod supponendus sit talis titulus, qui sit mediante traditione ab alio, quales sunt

plurimi, ratio limitationis limitat terminos beneficii possessoribus hoc loco competentis, ideo enim hereditatis petitio non datur contra eos, qui titulo singulari possident, quoniam heres illum sine dubio conuenire potest, qui hereditatem alienavit, quod si vero hic absens sit & non compareat, posse heredem etiam emptorem hereditatis conuenire, expressis terminis disponit *l. 13. §. 4. ff. de hered. petit.* ideoque non omni exceptione maior est regula, quod hereditatis petitio detur saltem aduersus eum, qui pro possessore vel pro herede possidet, sane enim & hic aliquando defendi potest, pro herede enim possessor dupliciter sumitur, si enim quis rem non hereditariam ad tertiam hereditatem pertinentem titulo possidet, heres tertiæ hereditatis hanc petere ab eo non potest.

§. XXXIV.

Pignoris possessor, qui rem, in qua alter jus hypothecæ habet, possidet, hoc potissimum commodum habet, quod hypothecariam actionem in tantum a se removere possit beneficio excussionis, si enim creditor aliunde satisfieri possit de re propria debitoris, absurdum esset vexare tertium possessorem, imo & fidejussores conueniendi, antequam possessione priuetur, qui rem tenet, *Auth. hoc si debitor C. de Pign. Nov. 4. c. 2.* sed additur communiter limitatio: nisi res sit speciali hypothecæ obnoxia, & quod hoc casu, non excusso principali debitore, creditor etiam a tertio possessore pignus repetere possit, v. *Carpz. P. 2. C. 18. Def. 18. Hahn ad Wes. tit. de distract. pignor. n. 1.* At vero etiam si specialis hypotheca vel maxime rem afficiat, quod non negatur, nihilominus hypotheca saltem constituitur in subsidium & securitatem creditoris, qua fundata, hoc

est si ipsi a debitore satisfieri possit, non est vexandus tertius possessor. vid. ulteriorem hujus rei deductionem apud Franzk. *L.1. Resol 12.* Struv. *in S. I. C. Ex. 26. th. 38.*

§. XXXV.

Ratione actionis Paulianæ institutæ diversis quoque modis beati possidentes esse possunt, primo enim actori, antequam possessorem vexet, excutiendus est ipse debitor, qui si aliunde solvere valeat, manet suo loco possessio, deinde difficilis probatio ipsi incumbit ratione fraudis, tam ab alienante, quam etiam potissimum a possessore commissæ *v. l. 1. §. 2. l. 6. §. 8. ff. quæ in fraud. cred.* quæ si absit, & proinde possessor ex causa onerosa rem acquisiverit, certat cum creditore æqualiter de damno vitando, & gaudet præterea prærogativa possessionis. Quod si denique possessor talem rem restituere teneatur, alio tamen adhuc beneficio gaudet, fundato in *l. ult. §. 4. ff. eod.* quod scil. illos tantummodo fructus restituat, qui alienationis tempore terræ cohærebant, & eos qui post inchoatum iudicium recepti sunt, quos autem medio tempore percepit, non restituit, sed illos tanquam bona fide perceptos suos facit.

§. XXXVI.

Denique de jure protimiseos illud notum est, quod tertius possessor ab illo, cui illud jus per pactum concessum, conveniri non possit, quod tamen in ducatu hoc Magdeburgico certis conditionibus quidem permissum in *Ord. polit. cap. 22. §. 18.* deinde vero Edicto speciali declaratorio ita limitatum, ut possessori superfit commodum reposcendi pretium illius temporis, quo restituere tenetur, non illud, quod ipse dedit, & addita in specie est ratio limitandæ libidinis lucrandi

& vexandi tertium possessorem, aliud vero & egregium beneficium competit illi, qui pactum protimiseos iniit, si scilicet possessor sit, ut licet res alteri sit vendita, etiam adversus emptorem, doli non participem & pactum nescientem, defendi possit: cum enim uterque actionem saltem personalem habeat adversus venditorem, beatus omnino est possidens. v. *Mev. p. 3. Dec. 323. n. 3. Brunn. ad L. 2. C. de pact. inter auctor. n. 11.* Ceterum non possum non monere differentiam, quæ quoad hanc materiam inter tertium & quartum possessorem a Facultate quadam juridica in medium prolata est, simulque dubitatum, an quartus possessor sibi possit applicare jura tertii, at verba valent sicut nummi, & retrahenti perinde esse potest, an is, qui possidet, tertius an decimus sit, sufficit, quod hic tertius appelletur, cum quo retrahenti nihil unquam negotii fuit, ut adeo personaliter non sit obligatus, inde etiam personæ tertiæ dicuntur.

§. XXXVII.

Ultimo loco in materia restitutionis in integrum, quædam adhuc commoda adduci possunt; & quidem ratione minoris *in l. 13. §. 1. ff. de minor.* regula formatur, quod regulariter non detur restitutio adversus tertium possessorem, sed *interdum* saltem in rem competat, circa restitutionem ob metum quidem contrarium cavetur *in l. 14. §. 5. ff. quod met. causa*, at vero & hic competit possessori tertio beneficium excussionis, & deinde etiam pretium repetere potest, si quod dedit, licet plurimi Dd. dissentiant, nam *in l. 14. §. 5. ff. quod met. caus.* illud saltem prohibetur, ne in alterius *premiu* vertatur alienus metus, & clarius in antecedente §. 3. *sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim, & ex hac re eum, qui convenitur, etsi crimine caret, lucrum tamen sensisse*, atque adeo, qui causa onerosa possidet, non de lucro captando certat, & ita pretium repetit. Hæc de commodis possessionis hac vice sufficiant, claudat nunc Accursius dicens:

Melius est unum tene tene, quam centum
cape cape.

COROLLARIA.

I.

Intellectui non datur lex, neque enim definitiones legales, neque interpretatio authentica, neque relatio historica, neque præfationes legum naturam habent.

II.

Statuunt Juris interpretes communiter, quod venditor annuorum reddituum solus, non vero emtor possit hunc contractum dissolvere, & ita quidem non contra rationem, at vero quod venditor & emtor etiam volentes hoc contractui adjicere non possint, & quod conventio emtori hanc facultatem renunciandi concedens sit ipso jure nulla, minus naturale est, nec obstat Ord. polit. de 1577. tit. 17. §. und nach dem, hanc enim qui primus allegavit, commisit fallaciam compositionis & divisionis, reliqui bona fide secuti.

NOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO
DOMINO GASSERO,
AMICO SVO, PRO OBTINENDIS ACADEMICIS
HONORIBVS,
DE BEATITVDINE IVRIDICA,
DISPUTATVRO
HENRICVS BODINVS
SAL. PL.

Beatitudinem quaris, & quidem non post huius mundi fata, sed in hac vita consequendam, non tamen corporis tantum, verum & animi & sic totius hominis; quam inter varias Philosophorum discrepantes opiniones, in vera (non imaginata aut fucata) animi tranquillitate tecum constituere, ex disputatione tua persuasus sum: Dum vero hominem in civili societate viventem, ad consequendam beatitudinem iuridicam consideras, eandemque in publica omnium salute collocas; hæc autem nec mente concipi possit, nisi singulorum summi boni, seu felicitatis ratio habeatur; illam a
te

te enixe commendatam salutis publicæ curam ex ipsis in naturæ ordine fundatis privatæ felicitatis fundamentis, recte demonstrari posse, ac cum hac maxime convenire existimo. Si enim sapientissimi inter homines iudicium de optimo hujus vitæ, seu de Summo bono requiras, inuenies melius non dari, quam si quis elegantissima universi structura, in laude Creatoris, mente vere tranquilla, cum gaudio utatur; ita quidem, ut cum animi operationes, a corporis & sanguinis dispositione, non leviter dependeant, pro totius hominis felicitate obtinenda, mediis ad corporis refectiorem concessis, edendo, bibendo, cum uxore gaudendo ac officium hujus vitæ, ante faciem Creatoris cum creaturis quasi ludendo, transigat; dummodo sollicitus sit, ut harmonia universi juxta Domini & Creatoris voluntatem custodiatur, ac in observatione ordinis, cuique in natura assignati, & ipsi & omnibus creaturis bene sit; quorum post mortem nulla fruitio, nullaque ex hac resultans voluptas: Unde vel Salomonis vel alicujus ab Ethnicis denominati Epicuri, summæ felicitatis regula: **EDE, BIBE, LVDE, POST MORTEM NVLLA VOLVPTAS;** juxta verum ejus jam deductum sensum intellecta, eo minus improbanda erit, quo hæc omnia a DEO largiri certum est. Eccles. C. 2. v. 24. & seqq. & C. 4. v. 17. & seqq.

Salutem itaque publicam querenti, maxime curare necesse erit, ut quisque in republica, bonis hujus mundi, in corporis & animi satisfactionem mente tranquilla ita utatur, ne Universum vel publicum, a Divina, vel humana Majestate introductum ordinem turbet, sed singulorum ope, omnium commoda ac gaudia promoveantur. Sic vere beata erit Respublica; Sic beatitudinem hujus vitæ, post jucundam fruitionem creaturarum, æterna excipient gaudia. Maeste ergo, mi Amice, in studio tuo veram beatitudinem civilem sectandi, ut doctissimis tuis studiis propriam multorumque felicitatem promovere possit; Et quamvis in tua disputatione circa quædam mere positiva, non plane tecum sentiam, quia tamen hæc talia inveni, quæ propositam beatitudinem non impediunt, malui potius omnia intacta relinquere, quam docte a te elaboratam disputationem, meo stylo, vel hypothesebus alieni partus suspectam reddere. Vale interim & fruere doctis tuis laboribus. Dabam Hale Magdeburgicæ
d. 24. Nov. Anno 1705.

